



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **S. Avrel. Avgvstini Confessionvm Libri X**

**Augustinus, Aurelius**

**Coloniae, 1646**

Cap. XXIX. In Dei misericordia spem reponens, ab eo petit continentiam.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10120**



quod toleret; quod erit in altera vita, in quam V.1.3.c.1. not. 2.  
*nos oportet intrare per multas tribulationes.*

- d *Semel, & iterum, & tertio*) S. D. triplex vœ intentat à desiderio prosperitatis, & duplex solum à timore adversitatis, quia plus multo nocet prosperitas quam adversitas. Illa inducit oblivionem sui, & Dei, contemptum virtutis, & licentiam omnium vitiorum: ista revocat hominem ad cor, incitat ad pœnitentiam, subtrahit materiam vitiis, & Deus pius ac misericors Ecclef. 2. 13. *re-mittit in die tribulationis peccata.* Hinc paucos invenies probos in magna & continua prosperitate, plures in tribulatione.
- e *Sine ullo interstatio, vix hora labitur, qua non tristitiam aut molestiam sentimus, tinendo & pati-endo aliquid adversum corpori, animo, fortunæ, honori, vel desiderando aliquid prosperum, in his ipsiis rebus.*

V S V S.

1. Apparet Paulum verissime dixisse: *Patientia vobis necessaria est, hæc procuranda in hac tentationum, ideoque & lachrymarum valle; sine hac miseri erimus.* Hebr. 10. 36.
2. Tædium hujus vitæ ex tot malis concipiendum est & desiderium æternæ patriæ, ad quam totis medullis aspirare, tentationum inevitabilis multitudo compellit.

C A P. XXIX.

*In Dei misericordia spem reponens, ab eo petit continentiam.*

1. **E**T tota spes mea, non nisi in magna valde misericordia tua, Domine Deus. Da quod jubes, & jube quod vis. a Imperas nobis continentiam. *Et cum scirem, ait Sap. 1. 28.* quidam, *quia nemo potest esse continens, nisi Deus det, & hoc ipsum erat sapientia, scire cujus esset hoc*



*hoc donum.* Per continentiam quippe colligimur & *b* redigimur in unum, à quo in multa defluximus. Minus enim te amat, qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat. O amor, qui semper ardes, & nunquam extingueris! Caritas Deus meus, accende me. Continentiam jubes: Da quod jubes, & jube quod vis.

## N O T Æ.

a *Imperas nobis continentiam*) non sumit hic continentiam pro castitate, per quam aliquis ab omni delectatioce venerea abstinet, sed generalius pro ea virtute, per quam aliquis resistit quibusvis concupiscentiis pravis, quæ in eo vehementes existunt, ut ait S. Thomas. Eodem modo loquitur Aristoteles de continentia. 7. Ethic. Quæ nondum est virtus perfecta, sed inchoatio quædam virtutum, ideoque maxime convenit incipientibus servire Deo: nam etsi in illis ratio sit firmata contra passiones, ne ab eis superetur: passionum tamen vehementia ac multitudo, ostendit illos ad perfectam virtutem nondum pervenisse; hæc enim appetitum sensitivum subdit rationi, & vehementiam concupiscentiæ refringit.

b *Redigimur in unum*) solius Dei amorem & obsequium, à quo peccatores & incontinentes dispersuntur in multas creaturas, ut sæpe jam dictum est. Melius autem multo est, amare unum summum bonum, quam multa parva bona, & inordinato eorum amore amittere illud unum, quod necessarium est, ac solum sufficit.

## V S V S.

Duo remedia ad superandas hujus vitæ tentationes suggerit S. D. I. Spem, sive fiduciam divinæ misericordiæ. II. Orationem, cujus formam ac summam optimam præscribit: *Da quod jubes, & jube quod vis;* etsi enim peccare possimus ex nobis, Dei tamen præcepta implere non possumus sine Dei præcipientis gratia. Sicut oculos claudere possum cum volo, iis autem licet apertis videre non possum, nisi lux affulgeat, & adjuvet, ut S. D. alibi docet.

22. q. 155.  
a. 1. c.

1. de gestis  
Pelagii.

C A P.